

IN LIBRUM SEXTUM

E P I T O M A.

Clodia a Genuensibus expugnata est : Ejus cladis nuncius ingentem attulit civitati terrorem : Victor Pisanus decreto Patrum vinculis liberatus est : Imperium classis partim Thaddæo Justiniano, partim Victori Pisano est decretum : Urbs circa portum & aliis pluribus locis valide munita est : Carolus a Lodovico Rege missus Taurisum obsedit : Pax apud barbarum mota, ob iniquissimas condiciones ad exitum perducere non potuit : Genuenses ad Medoacum cum tota classe confederunt : Utrinque & in littore & in internis aquis ex occasione sæpius est pugnatum : Valida in urbe classis decreta est : Multi privati Rempublicam diversa ratione juverunt : Ligur, soluta obsidione, Clodiam se recepit : Carolus Zenus multa Supero Inferoque mari in hostes gessit : Clodiam Venetus undique obsedit : Circa portam & ad Brundulum laboriose in hostes est bellatum : Thaddæus Justinianus partem classis ad Sipontum amisit : Genuenses circa Clodiam ingenti prælio victi, inde ferme domiti, deditio- nem fecere : Dux, præda militibus concessa, captivos cum ipsa urbe recepit.